



Q. D. B. V.

E 72. num. 21.

DISSERTATIONEM IURIDICAM

DE

EO, QVOD IVSTVM EST

CIRCA

PECVNIAM
LVSTRICAM

VVLGO

Rathen-oder Sevatter-Geld

PRAESIDE

IOANNE GODOFR. KRAVSIO D.

INSTIT. IMPER. P. P. CVRIAE PROVINC. SCABIN.
ET FACVLTATIS IURID. VITEMBERGENSIS
IVDICII ITEM PROV. INFER. LVSAT.

ASSESSORE

AD DIEM AVGVSTI M DCC XXVIII.

IN AVDITORIO ICTORVM

HORIS CONSVETIS

PVBlicae CENSvRAE SVBIIICIT

IOHANNES SAMVEL BEYERVS

FREIB - MISN.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



DISSERTATIONEM JURIDICAM

DE QUOD LIVIVM EST

CIRCA

PECUNIAM

LIVIVICAM

VULGO


Carsten-oder-Commer-Hand

PRÆFATIO

IOHANNIS GODOFRI. KRAVSIQ. D.

INSTIT. IMPER. R. P. CURIAE P. CIVICAE SCABIN.
ET FACULTATIS IURID. VIT. AMBERGENSIS
IUDICIUM PROX. INTER. P. R. A. T.

1752



IN AUDITORIUM IURIDICUM
HONOR. CONSULT.

IOHANNES SAMUEL BEYERVS

FRAT. M. M.

VITTEMBERG, P. R. A. T. V. D. V. E. G. E. R. D. E. S. I. A. E.



VIRO
NOBILISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
IOH. SAMVELL
BEYERO

CONCENTVVM MODERATORI GRAVISSIMO
CHORI MVSICI DIRECTORI PRAESTANTISSIMO
GYMNASIIQVE QVOD FREIBERGAE FLORET
COLLEGAE IV. MERITISSIMO

DOMINO PARENTI SVO

INTENSISSIMO PIETATIS ARDORE
AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

EXIGVAS HASCE PAGINAS

OFFICIOSE

CONSECRAT ET DEDICAT

Filius obsequiosissimus

Johannes Samuel Beverus

VIR
NOBILISSIME AMPLISSIME
ATQVE DOCTISSIME
DOMINE PARENS

*AD CINERES VSQVE INTENSISSIMO PIETATIS ARDORE
MIHI DEVENERANDE*

Quoties mihi in mentem venit recordari
omnium eorum, quae a prima aetate
ad salutem meam procurandam & sta-
bilendam mihi tribuisti, toties nec Dei Opti-
mi maximi clementiam satis uenerari, nec TV-
M in me affectum, plus quam paternum, ea,
qua decet, ratione depraedicare, possum. E-
nim

nim uero diuini muneris est, quod TE nactum
sum Parentem indulgentissimum benignis-
simumque, qui nulli parcat curae, nulli labori
nullisque sumtibus, ut me omnibus illis instruat,
quibus res meae iuuari posse uidentur.
Quod omnes in uotis habent, pauci consequuntur,
quod omnes sperant, paucis euenit. Illud ipsum
me iis omnibus multo felicior reddit, quandoquidem
TV non solum ad huiusmodi diem stabili corporis incolumitate per Dei gratiam
gaudes, sed etiam in me, qui TIBI solus
relictus sum ex iis, quos genuisti filios, omne
amorem effundis, omniaque beneficia cumulas,
quorum, si plures haberes nato me non adeo large
participem facere posses. Quae cum ita sint, non
possum, quin subintimo pietatis affectu commouear,
atque in totum incumbam, ut non solum animum meum
gratissimum ex praestito TIBI obsequio cognoscas,
sed meos etiam qualescunque in studio iuris
progressus ex monumento aliquo publico intelligas.
Cui enim temporis, a me tran-

ti, rationem reddam, uel pro exhibitis bene-
ficiis gratias agam, quam TIBI, cum, ad lite-
rum studia profequenda nullius ope adiu-
s, TIBI omnia accepta referam. Beneuo-
lens igitur, Parens ad cineres usque intensissi-
mo pietatis ardore mihi deuenerande, primi-
tis hasce suscipe, quas TIBI submissa mente
exhibeo, & conatus aequi bonique consu-
m, quibus id ago, ut in posterum omnes actio-
nes meas ad TVI solatium, rei que publicae
volumentum, quoad possim, componam.
quemadmodum autem, sine TVO & consi-
lio & auxilio me nihil moliri posse, facile per-
icio, ita Deum immortalem, supplex precor,
TE per multos annos saluum & sospitem
habere, TE que, aetate iam prouectum cum
summa totius nostrae familiae uoluptate at-
que laetitia, ab omni, quod corporis ualetu-
dinem laedere & animi tranquillitatem turba-
re possit, incommodo defensum, clementissi-
me custodire uelit. Dabam Wittebergae die
XXI. Iulii MDCCXXVIII.



§. I.

DAntur, quos numerare magnum Oblatio pec-
est, ita sunt multi, qui munera, ^{curiae lu-}
a Susceptoribus, simul ac recens, ^{stricae a}
natus sacro aspersus est lavacro, ^{multis im-}
dari solita, contemnunt, eundem- ^{probatur.}
que donandi modum prorsus tol-
lendum esse putant. Ut enim, ^{Rationes,}
quemadmodum tradit CARPZO-
VIUS in *Iurisprudencia Consistor. Lib. II. Tit. 17. Def.*
172. n. 1. Iultricae pecuniae oblatio substantiam sa-
cri istius negotii non attingit, sic, a parenti-
bus liberorum, sacro lauandorum balneo, Comp-
tris officium saepe deferri aliis, autumant, non ut te-
stes habeant actionis sacrae, coadjutoresque educa-
tionis, sed, ut munera opima consequantur. Qua de
re euenire saepissime comperimus, ut ii, qui muneri
huic subeundo eliguntur, istud, aut prorsus declinent,
aut minimum, non sine indignatione suscipi illud,
non obscure indicent. Hos abusus uicis quasi co-
loribus depictos habes in D. AVGVSTI ELE-
A 2 CTORIS

CTORIS SAXONICI *Articulis*, qui ita dicuntur, *Generalibus*, de anno 1557. Rubrica von der Tauffe/ ubi: Daß bey vielen das Hochwürdige Sacrament der Heiligen Tauffe um das Einbinden/ Geschenk/ und sonderlichen Nutzens/ etwan auch unziemlicher Pracht und Hoffarth willen/ mit grosser Menge der gebethenen Gesatteren in ärgerlichen Mißbrauch gezogen/ und etliche hiez durch Crämerey fast dergleichen/ wie verrückter Zeit die Weß-Pfaffen im Pabsthum dem Nachtmahl des HERRN gethan/ aufrechteren ꝛ. Atque his forsitan de causis in CONCILIO MEDIOLANENSI l. Tit. *Quae pertinent ad Baptismi administrationem* etc. susceptores quicquam infantibus, horumue parentibus, tempore baptismi, largiri prohibentur. Interdicta etiam est lustricae pecuniae datio in DVCATV MAGDEBVRGICO ui ORDIN. ECCLESIAST. *Cap. 3. §. II. et ORDIN. POLIT. Cap. 40. §. 4.*

§. II.

*Defenditur
vius usus.*

AT, quicquid hisce muneribus opponitur, uti illud abufum saltem carpit, ita dubium non est, hanc donandi consuetudinem satis habere laudis, piunque ritum esse Ecclesiae Christianae, qui sua omnino utitur ratione, nec iniuste ex pia maiorum aetate in nostra usque tempora uidetur translatus. Sustinet enim ea pecunia lustrica vicem Arrhae, quae negotiis haud raro, confirmationis et probationis ergo, accedit, uariis etiam in locis Patrini in actu Baptismali uerbis promittunt expressis, quod infantem sibi uelint commendatum habere, cum educaturi in fide christiana, eaque

eaque in religione, quam infantis nomine in baptismo profitentur. Additur his a CARPZOVIO in *Iurisprudens. Consistoriali Lib. II. Tit. 17. Definit. 272. num. 2.* quod pecunia lustrica sit quasi testimonium et recordatio Baptismi. Quapropter admodum pie agunt parentes, si eiusmodi pecuniam liberis religiose asseruent, eamque saepius ostendant, eos Baptismatis et promissionis, per Susceptores, DEO factae commonefacientes. Plures rationes addit RADOVIUS in *Dissert. de pecunia lustrica Cap. 2. §. 4.* quas transcribere minime placet.

§. III.

CVM itaque lustrica pecunia nihil in se continet iniqui, eiusque usus, dummodo abusus absit infolens, plerisque in locis, Protestantium imprimis, hodiernum uiget, tum sane uitio nobis uerti non poterit, quandoquidem in praesenti specimine academico de eo, quod iustum est circa pecuniam lustricam, uulgo *Pathen- oder Gewatter-Geld*, acturi sumus. Lustrica uero pecunia est munus quoddam, baptizatis a susceptoribus in tesseram fidei datae, testimoniumque facti Baptismatis, oblatum. Sicuti enim lustricum id omne dicitur, quod die lustrico seu nominali peragitur; ita hoc nomen translatum est ad munera patrinorum, cum et ea hoc tempore offerri solent, quo Baptismus et nomen infantibus confertur.

*Obinet ad-
huc in ple-
risque Pro-
testantium
terrīs.*

*Quid sit
pecunia
lustrica?*

§. IV.

LVSTRICAE pecuniae nulla equidem mentio fit in iure Civili, licet hoc patrinus et susceptores non ignoret.

*An lustrica
pecunia lu-
tri Romano-
ret, sit incogni-
ta?*

ret, *Leg. 26. C. de Nuptiis.* Qua de causa, id pecuniae genus apud Romanos in usu fuisse, multi dubitant. At generalis increbuerat inualueratque penes Romanos consuetudo, ut festiuis diebus et solennibus, amici munera inuicem sibi mitterent. Huc referes, quae tempore nuptiarum *L. 13. §. 2. ff. de administr. et pericul. tutor. L. 1. §. 5. ff. de tutel.* Calendis Martiis et die natali dari solebant. *L. 31. §. 8. ff. de donat. inter uir. et uxor.* quin imo etiam **CAPITOL.** in *Clod. Albin. Cap. 6.* infantibus recens natis et **TERENTIUS** in *Phorm. Act. I. Sc. I. v. 12.* puerperis munera fuisse missa, docent. Qua de re uix dubium est, quin et susceptores, qui patres spirituales fieri, et consanguinitate spirituali, uti fingebant, baptizatis iungi dicebantur, his dona dederint, praesertim cum dies lustrationis iis solennes fuerint, boni, hilares, quibus per septem dies in albis, seu Candidati, incederent. uid. **D. N. BOEHMER.** *Ius Ecclesiast. Protes. Lib. III. Tit. XLII. §. 44.*

§. V.

Origo pecuniae lustricae. **L**ustricae pecuniae originem ad aetatem **HYGINI**, *Episcopi Romani*, referunt nonnulli, quos inter **BALDVINVS** est in *Casibus Conscient. Lib. II. Cap. II. Cas. 8.* **CASALIVS** de *ueter. Christianor. ritibus Cap. 5.* propterea, quod eo uixerit tempore, quo maxime Christianos conuexauit miseris **HADRIANVS**, **CLVVER.** in *Epitom. Histor. sub Hadriano.* Etenim, Compadres, iudicant, munere consuluisse inopiae baptizatorum, quibus postea non aequae semper succurrere poterant, cum eadem sede morari eo tempore uix ipsis liceret, quod metuendum erat martyrium. uid. **B. STRYKIVS** ad

ad BRUNNEMANNI *Ius Ecclesiast. Lib. II. Cap. II. Membr. 2. §. 12. uerb. muneris Baptismalia. B. TITII Probe des teutschen Geistlichen Rechts Lib III. Cap. II. §. 16. At haec omnia praesumptis niti opinionibus, nec certas tradi probationes ab auctoribus, recte monet RADOVIVS d. I. Cap. II. §. 2.*

§. VI.

EX suppeditata lustricae pecuniae definitione patet, eam a susceptoribus, seu patrinis offerri solere. Susceptorum autem nomine insigniuntur, qui in actu sacri lauacri ut testes, et sponsores, adhibentur. Hi, licet ad Baptismum absolute necessarii non sint, per ea, quae habet BALDVINVS in *Casib. Conscient. p. 413. et 422.* neque ab initio, Apostolorum in primis tempore, actu Baptismi interfuerunt, uti probat DN. BOEHMERVS in *Iure Ecclesiast. Protestant. Lib. III. Tit. XLII. §. 35.* uarias tamen causas refert LYNCKER in *Dissert. de Baptismo Cap. VII. §. 2.* propter quas non facile eos omittendos censeret. Sicuti autem in rogandis et admittendis patrinis delectus omnino habendus est, DN. BOEHMERVS *c. l. §. 37.* ita in eligendis non ad eorum facultates respiciendum. ECKARD. ad SCHILTERVM *p. 156. n. 2.* uid. DN. de ROHR. *Kirchen-Recht p. 831.*

A quibus offerri solet pecunia lustrica? Qui sunt patrimi?

§. VII.

CVm uero lustricae pecuniae datio praese fert speciem donationis, tum sane pro lubitu arbitrioque eam cum effectu, baptizatis, dare nequit, nisi, qui de

Filiusfamilias quousque hanc lustricam pecuniam dare possit?

de bonis libere disponendi facultatem habet. Hinc si filiusfamilias susceptor electus fuerit, merito respiciendum, num peculium possideat, an uero hoc destituatur. Si posterius, in promptu est, per inopiam eiusmodi donationem aliter fieri non posse, nisi ex patris gratia ac liberalitate; sin prius, considerata est peculii qualitas. Vbi enim peculium, aut profectitium, aut aduentitium regulare possidet, pecuniam lustricam exinde, nec eo in casu sine patris consensu, ab ipso dari posse, iudicamus, quum uel maxime pater liberam huius peculii administrationem filio concesserit. uid. *L. 7. pr. ff. de donat.*

§. VIII.

*Refutatur
Radouius.*

NEgatiuam sententiam defendit RADOUIVS in *Dif- fert. de pecunia lustrica Cap. II. §. 5.* afferens a filiofamilias et de eo peculio, in quo parens usumfructum habet, aut proprietatem plenam, absque huius consensu munera baptismalia dari posse. Atque ad hanc sententiam his inducitur rationibus, quod secundum *L. 7. §. 1. ff. de donat.* filius de hisce peculii iusta ratione, iustaque de causa, etiam sine patris consensu, donare possit, et quod pecuniae lustricae oblatio ex consuetudine pendeat, consuetum autem pro necessario sit habendum. *Cap. 18. X. de censibus.* At hisce rationibus de nostra sententia non demouebimur, propterea, quod, uti infra pluribus confirmabimus, ad haec munera nemo inuitus cogi potest, praeterea lex allegata, ob patris praecidium concurrens, non, nisi de eiusmodi causis, accipienda, quae necessitatem quandam in se continent. Ex reliquis autem peculiorum

horum speciebus filiumfamilias lustricam pecuniam pro lubitu, dummodo integrae sit aetatis, etiam sine patris consensu, dare posse, facile concedimus. arg. L. 7. §. ult. ff. de donat. Nou. 117. Cap. I.

§. IX.

Idem sentiendum est de coniuge, quae infantem e sa-
cro lauacro suscipere rogatur. Haec enim, nisi ipsamet bona habeat, pecuniae lustricae dationem, propter inopiam, quae satis excusat, aut profus omittere debet, aut maritus, non ex necessitate, sed spontaneo animi motu, suis de bonis dabit, ut recens baptizato munus baptismale offeratur, quod deinde, uxori aliunde affluente aere, quin a marito repeti possit, non dubitamus, cum donationes inter coniuges prohibitae L. 1. ff. de donat. inter Vir. & Uxor. ideoque multo minus praesumendae. Accedit, nullo iure maritum ullibi adstringi, ut uxori ea subministret, quae donanda, sed quae ad uictum & amictum necessaria sunt. MEVIUS ad *Ius Lubecense Lib. 1. Tit. 5. Art. 4. n. 48.* RICHTER Vol. II. Conf. 410. n. 10. Iudicat equidem RADOVIUS d. *Quid si mariti intuitu ad hoc munus sit electa?* l. §. 6. circa fin. hoc minus habere locum, uxore, uiri intuitu, ad susceptricis officium electa, dum hoc in casu maritus ipse donare censeatur, coniuge tantum interveniente. Vti uero haec sententia ex adducto arg. L. 21. seqq. ff. de *Vusufructu*, nec non L. 10. ff. de *Vulgari & pupillari Subst.* minus recte probatur; ita negamus, etiamsi mariti intuitu uxor ad eiusmodi officium uocata fuerit, marito incumbere donationem, praesertim cum, quemadmodum infra docebitur, huius muneris datio necessaria haud sit, uel ad minimum ex alieno haud exercenda.

B

§. X.

§. X.

*Si uxor ipsa
bona habe-
at.*

Bona si possidet uxor, horum qualitas respicienda, num sint uel dotalia, uel paraphernalia, uel receptitia. De dotalibus minus recte lustricam donat pecuniam, tum, quod maritus ratione dotis dominium habet, tum etiam, quod Reipublicae, mulieri dotem esse saluam, interest, *L. 2. ff. de iure dot. L. 1. ff. Solut. matrim. quemadmod. dos pet.* Quae cum ita sint, nec cum mariti consensu uxorem hisce de bonis lustrica dona ualide dare posse, iudicamus, arg. *pr. Inst. quibus alienare lic. uel non praesertim*, quum magnam pecuniae lustricae summam donatura sit. De reliquis bonis, quae dotalia non sunt, quo minus uxor dona baptismalia dare possit, nihil est, iure Ciuili, quod impedit, cum de iis, dum maiorennis sit, etiam sine mariti consensu, pro lubitu disponere possit, uid. *L. 6. C. de reuoc. donat. iung. L. 9. §. fin. ff. de iure dot.* At iure Saxonico se res aliter quodammodo habet: ex hoc enim maritus in paraphernalibus administrationem & usumfructum habet, praeterea in omnibus mobilibus, excepta Gerada, iure gaudet succedendi, *Pand. R. Lib. 1. Art. 31. & Lib. III. Art. 76. Constit. Ele. Sax. XXII. Part. III. D. N. DE BERGER in Oeconom. Iur. Lib. 1. Tit. 3. th. 10.* ut, uel ideo, de huius generis bonis, siue sint paraphernalia, siue receptitia, sine mariti consensu nihil uxor donare, adeoque nec lustricam pecuniam aliis dare possit.

§. XI.

*An auus
baptizandi
pecuniam
lustricam
eum effectu
donare pos-
sit?*

Minime raro contingit, ut auus baptizandorum nepotum Patrinus eligatur. Quod si sit, dubium haud est, quin si nepotem in sua patria potestate non habeat, munus baptismale in actu baptismi offerre possit; sin uero auus susceptor nepotem baptizandum in sua

sua patria potestate habuerit, an tunc donatio lustricae pecuniae effectum habeat, ut subsistat, quaestio est, quae Ictorum animos in hac causa dubios facit, ita, ut in eandem sententiam una mente non consentiant. Quod autem nepotem in patria potestate queat habere auus hodie, quam saepissime contingere potest, quandoquidem per solas nuptias a patria potestate non liberatur filius, nuptias quidem celebrans, sed cum patre adhuc habitans, huius conuictu utens, nec separatam propriamque instituens familiam atque negotiationem. CARPZOVIVS *Part. II. Constit. X. Def. 3.* SCHOEPFFER *Synops. Iur. Ciu. Priu. Rom. & For. Lib. I. Tit. 7. n. 37.* qui quam plurimos refert Doctores opinionis dissensione ab hac sententia discrepantes, statuentesque generaliter hodie per nuptias emancipari liberos. Ancipiti vero quaestioni, quam in utramque partem a Iurisprudentibus Viris arbitratam diximus, ut respondeamus, negatiuam sententiam secundum sancita Iuris Ciuilis uerorem esse putamus, tum, quod patria potestas parentem inter & filium unitatem fingit, §. 4. *Inst. de Inuul. Stipulat. L. fin. C. de impuber. & al. sublit.* inter dantem autem & accipientem differentia fit, oportet. *L. 56. §. 1. ff. de fideiuss.* tum, quod nulla obligatio inter patrem & filium contrahi possit. *L. 50. ff. ad SCum Trebell.*

§. XII.

Equidem RADOVIVS in saepius allegata *Dissertatione Radovii de pecunia lustrica Cap. III. §. 8.* dissentit, ea, iudicans, ^{sententia} ^{refutata} quae de uetita donatione inter patrem & filium Iure Ciuili praescripta sunt, uarias pati limitationes atque exceptiones. Huc refert eam donationem, quae fit ad piam causam, eaque ratione, imo fortiori, dationem lustricae pecuniae suffulciri asserit, cum ea singulari ex

pietate fieri soleat, ad educationem, tum, in fide Christiana, tum, in aliis honestis disciplinis ac moribus, indeque concludit, ob summum fauorem contra iuris stricti subtilitatem hanc donationem defendendam esse, arg. *Cap. cum esses in nostra praesentia 10. & Cap. relatum seq. X. de testam. L. 50. ff. de hered. petit. L. 7. §. 1. ff. de ann. legat.* praesertim tum, quum exigua summa sit oblata. Cum uero laudatus RADOVIVS limitationem, quam constituit, quod donationes inter patrem & filium, ad pi- am causam facta, de iure Civili simpliciter subsistant, nullo idoneo textu iuris probat, nec in *L. unic. C. de Stud. lib. ut & §. fin. Prooem. Inst.* quos textus eum in finem adducit, quicquam inuenitur, limitationes autem facti esse, & regulae eo usque inhaerendum, donec restrictio ex Legibus deducatur, satis constat. DECIVS & Dd. in *L. 1. ff. de Reg. Iur.* tum sententiae nostrae in antecedente §. traditae, firmiter inhaeremus, attamen, quod ius Saxonicum attinet, si pecunia iustitica in rebus mobilibus consistit, eam, & filio uel nepoti in patria potestate constitutis, a patre uel auo datam, subsistere concedimus, propterea, quod hoc iure donationem rerum a patre filio factam sustineri nouimus, arg. *Pand. N. Libr. 1. Art. 10.* quod etiam B. MENCKENIVS in *Synopsi Pandect. Tit. de donat. §. II.* Praeiuicio Facultatis Iuridicae Lipsiensis *Mens. Mart. 1720.* confirmat.

§. XIII.

*Quid de
Substituto
dicendum?*

Contingit haud raro, ut per substitutum susceptoris fungamur officio, quod aut longius absumus, aut angustia temporis, praeccludimur, uel alia ex causa impedimur. Quod si fit, dubium haud est, & istud, quod a Substituto recens baptizato datur, iustiticae pecuniae speciem induere, iisdemque gaudere priuilegiis. Alterius

rius enim uices, qui suscipit, eius etiam iuribus regulariter fruitur. BARBOSAE *Theaurus locor. commun. Lib. XVII. Cap. LXXIII. Ax. 12.* Alia quaestio est, an Substitutus istud, quod lustricae pecuniae nomine recens baptizato obtulit, a Principali repetere possit? Qua in re distinguendum esse putamus, num ab ipso susceptore substitutus, an uero ab infantis parente, ad hoc officium sit electus. Illo in casu iterum uidendum, utrum substitutum simul iusserit lustricam offerre pecuniam, aut an simpliciter ipsum rogauerit alter, susceptoris officio ut pro se, saltem in actu sacro, fungatur, dass er bey der Tauffe seine Stelle vertreten möge. Si prius, quis dubitet, quaeso, id, quod datum, a mandante actione mandati contraria repeti posse, dummodo, quae a mandante statuta erat quantitas, seruata fuerit, cum mandata stricti iuris, eiusque fines diligenter custodiendi. *L. 5. pr. ff. Mandati, quos ullo modo excedere non licet, §. 8. Inst. de Mandato L. 5. L. 22. pr. & §. 1. ff. Eod. quinimo, si, nulla quantitate determinata, mandans ipsum in genere, lustricam ut daret pecuniam, iusserit, modum seruare, si actionem mandati saluam habere uelit, nec plus, quam ipse substituens, uel alius, eiusdem conditionis, infanti, huius generis ac status, daturus esset, offerre tenetur. L. 7. §. 13. ff. ad SCrum Macedon. L. 3. C. eod. L. 10. ff. de negot. gest. sin potterius, quum uidelicet a susceptore quis simpliciter rogatur, ipsius loco ut hoc fungatur officio, ubi infanti baptizato munus baptismale obtulerit, num hoc a Principali per actionem repetere queat, quaestio est difficilior. Affirmatiuam sententiam RADQVIVS *d. l. Cap. IV. §. 3.* pluribus rationibus, quas transcribere minus uolupte nobis est, defendit. At negatiua magis arridet, dum, quod mu-*

An istud,
quod dedit,
a Principali
repetere
possit?

nus baptismale non ex necessitate dandum est, sed ab arbitrio patrinorum dependet, deinde, quod mandatum stricti iuris est, cuius fines accuratissime custodiendi, denique, quod oblatio eiusmodi muneris donationem sub se continet, quae semper mandatum speciale requirit, neque sub generali, licet cum libera datum sit, continetur. *L. 28. §. 2. ff. de Pact.* Hoc uero in casu, ubi ab infantis parente quis, infcio principali susceptore, electus fuerit, hic, si quod dederit munus lustricum, multo minus propterea hoc poterit a principali repetere, quod intuitu huius neque tacitus, neque expressus adest consensus, fingique nequeat idonea ratio, ex qua eiusmodi consensus colligi possit.

§. XIV.

An et istud, quod ab aliis, qui patrinis non sunt, baptismi intuitu offertur, pecunia lustrica dici possit?

Lustricae pecuniae oblationem restringit **RADOVIVS** c. 1. *Cap. IV. §. 2.* ad solos susceptores, ratus, hoc, quod ab aliis, qui susceptores non sunt, quamuis intuitu baptismi offeratur, quod factus sit, infans Christianus, lustricae pecuniae nomen non mereri, sed donationem ad pias causas potius dicendum esse. At cum lufus saltem in uerbis sit, & uix ac ne uix quidem, per seculum semel aut bis accidat, ut ab aliis, qui susceptores non sunt, aliquid offeratur, tum sane, & ea, quae de pecunia lustrica, proprie tali, traduntur, etiam ad hunc casum iure meritoque applicanda esse asserimus. uid. **DN. THOMASIVS** in *Dissertatione de hyporbea tacita propter pecuniam lustricam Cap. I. §. 1. lit. d.*

§. XV.

Pecunia lustrica acquiritur recens baptizatis.

Vti autem supra monitum fuit, offertur pecunia lustrica recens baptizatis, & quidem sine discrimine, siue infantes ii sint, siue adulti. *Can. LXXIV. de Consecr. Dist. IV. Cap. 5. X. de Baptism.* Hos enim quod attinet, nostris

nostris in terris admodum raro accidit casus, ut adultus baptizetur, propterea, quod statim, simul ac natus est infans, eo allaborandum, ut sine mora sacro adspargatur lauacro. Huc spectant, quae in Saxonia nostra disponuntur in dem Reuidirten Synodal- Decret §. 22.

So sollen auch die Leuthe in denen Städten / und auf denen Dörffern Fleiß anwenden / daß ihre Kinder / so bald es möglich zur heiligen Tauffe befördert / und nicht daran verhindert / noch über Einen oder Zwey Tage aufgehalten werden / in wiederigen Fall / und da die Kinder ohne erhebliche und unvermeidliche Hinderniß länger von der Tauffe aufgehalten würden / soll jedes Orts Obrigkeit die Eltern willkührlich nach ihren Vermögen / um ein halb gut Schock / auch nach Gelegenheit höher / ad pios usus zu verwenden / bestraffen.

Quod pariter ad infantes extra matrimonium creatos, extendendum, dum lex non distinguit, quin potius in ARTICVLIS GENERALIBVS Art. VI. sancitum legitur: Es soll kein Pfarrer oder Kirchen = Diener die jungen Kindlein um ihrer Eltern Sünde und Unbußfertigkeit willen mit der heiligen Tauffe aufziehen / oder aber allerdings ungetauft liegen und sterben lassen / demnach / wenn sich begeben würde / daß Kinder außserhalb der Ehe gebohren / und zu der heiligen Tauffe gebracht würden / sollen die Pfarrer nicht lange mit denen / so die Tauffe bey ihnen suchen / vom Vater des Kindes disputiren / sondern auf Begehren / das Kind alsbald tauffen / und der Obrigkeit solches anmelden / welche sich vermöge unserer Policy = Ordnung darauf der Gebühr wird mit nothdürfftigen Nachfragen und Straffen zu verhalten wissen. Interim fieri potest, ut & adultus sacro tingatur balneo, quum uidelicet, ex Iudaismo, Gentilismo aliisque infidelibus aliquis ad Christianorum castra transcendit, ubi patrini adulto aequae, ac infanti,

munera

mūnera offerunt, quemadmodum RADOVIVS c. 1. *Cap. III. §. 4.* hoc exemplis probat, ut, & his lustricam dari posse pecuniam, dubitandum non sit, praesertim cum hi traditam rem acceptare & apprehendere, suamque facere possunt.

§. XVI.

An etiam infantibus acquiratur?

Ea autem quaestio, utrum infantibus lustrica pecunia, ita, ut hanc acquirere possint, donari possit, in anticipi rationum diuersarum circumstantia, magis dubia uidetur. Ex iure notissimum est, his tantum posse donari, qui, quod agunt, intelligunt, quique donationem acceptare possunt. *L. 10. ff. de donat. CARPZOVIVS Part. II. Const. XII. Def. 20. B. STRYKIVS in Cauelet. Contract. Sect. III. Cap. IX. §. 2.* quibus quidem facultatibus infantes destituuntur. *L. 32. §. 2. ff. de acquir. uel amit. possess. ut propterea furiosis comparari soleant. §. 10. Inst. de inutil. Stipulat. L. 60. ff. de Rei Vindic. Iudicat insuper DN. THOMASIVS in Dissertatione de hypotheca tacita propter pecuniam lustricam Cap. II. §. 2. lit. l. mūnera baptismalia non baptizatis, sed a patrinis ad subleuandos pauperes parentes, remunerandae hospitalitatis ergo, & in aliqualem compensationem sumtuum, occasione baptismi factorum, dari solere, unde in sequenti §. 3. concludit, pecuniam lustricam non baptizatis liberis, sed eorum parentibus, acquiri, simulque sub *lit. m.* ad rationes, quae potissimum a CARPZOVIO in *Iurisprūd. Confess. Lib. II. Def. CCLXXII. n. 3. seqq.* proferuntur, respondet.*

§. XVII.

Resutantur rationes, quae in contrarium adducuntur.

At enim uero, quod cum pace fiat *Viri illustris*, negamus cum DN. BOEHMERO in *Iure Ecclesiast. Protestant. Lib. 3. Tit. XLII. §. 44. circa fin.* lustricam pecuniam a patrinis in compensationem sumtuum, qui haud raro

raro in conuiuia, actu baptismatis celebrato, fieri consueuerunt, dari solere. Hunc enim finem, recte docet, omni antiquitati repugnare, ubi gratulationis & testandi affectus purioris causa solemnia munera data fuisse, ostendit, cum uariis aliis occasionibus, in quibus haec conuiuia cessabant, ea missa fuerint. Et quid? fordidum omnino foret, si persuadere sibi uelint parentes, dona haec in compensationem conuiuii baptismalis transmitti. Accedit, quod eiusmodi munuscula ipsi infanti in templo, simul ac baptismi actus celebratus fuit, offerantur, unde uocari consuevit *das Einngebinde*, cum olim monente ita laudato BOEHMERO c. l. infanti fuerint alligata, *sie sind den Kindern angebunden worden*. Confer. CANGIUS de *Glossar. uoce filiatum*, qui ostendit, infanti in signum filiationis haec munera fuisse oblata, ideoque ex cognatione spiritali horum munerum originem repetendam esse.

§. XVIII.

Nec reliquae rationes ex analogia Iuris Ciuilis desumptae atque in §. 17. adductae, a nostra sententia, ut desistant, efficiunt. Licet enim uerum sit, quod exercitio & uoluntatis & intellectus destituantur infantes; attamen quid impedit, quo minus pater, qui eos in sua potestate habet, eorum nomine haec dona & munuscula oblata acceptare, & sic ea infantibus acquirere possit, dum secundum Iuris Ciuilis sancita pro una persona habentur. §. 4. *Inst. de inutil. Stipulat.* ideoque etiam munera haec, infanti oblata, in suam custodiam recipit, nec patris ea remittit. confer. *L. 18. pr. & §. 2. C. de iure delib.* praeterea uniuersalis est Germaniae consuetudo, quae liberis munera baptismalia tribuit, ita, ut & in Concurfu Creditorum paternorum orto, ex bonis paternis inter alios creditores concurrentes repetere possint. uid. DN. de BERGER in *Oeconom. iur. Lib. II. Tit. V. §. 3. lit. d.* & in *Electis Discept. For. pag. 1498.* DN. WERNHER

C

Parr.

Part. I. Obseru. XIX. p. 26. B. RIVINVS in Enunc. lur. ad Proc. Sax. Tit. XLV. Enunc. III. p. 156. seqq.

§. XIX.

*Ad quam
speciem pe-
culii refer-
ri debeat?*

Cum uero ex dictis patet, lustricam pecuniam infanti, non eius patri acquiri, tum porro quaestio inter Doctores admodum controuersa oritur, quamnam ad speciem peculii, si infans in patris sui potestate constitutus sit, referri debeat? Otiosam iudicat hanc quaestionem DN. THOMASIVS in saepius memorata *Dissertatione de hypotheca tacita, propter pecuniam lustricam, Cap. II. §. 5. lit. p.* existimans, romanam peculiorum diuisionem Germanorum statui non conuenire, quippe quos penes ab antiquis temporibus non alia bonorum diuisio quoad liberos nota tuerit, quam ea, qua bona liberorum in paterna & acquisita fuerint diuisa. B. SCHILTER *Exercitat. ad ff. XXVII. ib. 86.* in simul prouocans eorum ad propriam confessionem, qui Iuris Romani usum alias magis, quam par est, extendunt, quod nimirum peculia apud nos rarioris sint usus, rigor peculii profectitii in foris non obseruetur, aduentitiorum distinctio in Praxi non attendatur, & quae sunt alia, uid. B. STRYKIUS *in Vsu Modern. ff. Tit. de Tributor. act. §. 1. Tit. de Peculio §. 5. Tit. de tacito pign. §. 10.* negans denique, peculii definitionem ad pecuniam lustricam quadrare, quum uulgo ita describi solet, quod peculium sit pusillum patrimonium, a rationibus paternis separatum, & in administrationem filii concessum: nunquam enim, asserit, aut raro saltem, lustricam separari pecuniam a rationibus paternis, praeterea raro, & nunquam fere, filiis eam concedi administrandi causa.

§. XX.

*Refusantur
rationes in
contrarium
adductae.*

At, licet in Germania olim, peculia, eorumque diuisiones, minus cognita fuerint, nulla tamen lex domestica obstat, quo minus una cum Iure Ciuili peculiorum usus, eorundemque diuisiones, recipi potuerint. Totum enim
lus

Ius Ciuile, quatenus legibus domesticis non repugnat, pedetentim in Germania receptum est, atque adeo tantum abest, ut diuisio pristina bonorum, ad liberos spectantium, paternorum & acquiritorum, repugnet naturae peculiorum, ut potius profectitium peculium ad bona paterna, reliquae autem species ad bona acquisita non incongrue referri possint. Praxis multo minus negari potest, cum quotidie naturam peculiorum, cum suis diuisionibus ad facta, in uita ciuili obuinentia, applicari uidemus. uid. B. MENCKENIUS in *Synopsi Theoret. Pract. Pandect. Tit. de peculio §. 2. seqq.* ubi uariis praeiudiciis hoc confirmat, simulque §. 12. Prae-iudicium FACULTATIS LIPSIENSIS IURIDICAE, intuitu *munerum Patrinorum*, adducit. Definitio uero, quam laudatus Auctor habet, per omnia non conuenit, cum ea, quae in *L. 5. §. 3. & 4. ff. de peculio* sinitur. Accedit, quod, fatente ipso LAVOLENO in *L. 202. ff. de Reg. iur.* omnis definitio in iure Ciuili periculosa sit, parumque difficile uideatur, ut quaelibet destrui subuertique possit.

§. XXI.

Hac uero de quaestione, quamnam ad speciem peculii referenda sit pecunia lustrica, tot & plures sunt opiniones Doctorum, quot peculiorum species. Ad castrense peculium eam refert B. BRUNNEMANNVS ad *L. 1. ff. de sita referenda*. Collationibus, ubi sic scribit: *Decidi potest ex hoc §. etiam illa da. non conueniant.* quaestio: *An liberi, parenti successuri, dona baptismalia, ius Patrum Geld) conferre teneantur?* Respondetur, quod non, quia acceperunt a Patre, quin potius sunt peculii castrensis, ad bellum sacrum collati. Ad quasi castrense peculium eam redigit SIMON in *Dissertatione de parvis Cap. V. §. 5.* ut & RADOVIUS in *Dissertatione saepius nominata Cap. IV. §. 9.* Profectitio peculio adscribunt LAVTERBACH ad *Tit. ff. de peculio* circa finem. DN. LUDOVICI in *Doctrina Pandectarum Tit. de peculio §. 6.* pluresque alii a DN. THOMASIO in dict. *Dissert. de*

de hypotheca tacita propter pecuniam iusticam Cap. II. §. 5. lit. u. allegati. Ad Aduentitium ordinarium eam referunt CARPZOVIVS Part. II. Const. XXIV. Def. 18. MEVIUS Decif. LXIII. Part. IX. B. MENCKENIVS in Synopsi Pandect. Tit. de Peculio §. 12. B. TITIVS in Iure Priuar. Lib. IX. Cap. II. §. 12. & in Specim. Iur. Ecclef. Cap. von der Tauffe. Ad aduentitium extraordinarium eam reducant B. STRYKIVS in Not. ad BRVNNEMANNI Ius Ecclesiasticum Lib. II. §. 13. uerb. acquiruntur baptizandis pag. 294. HOPPIVS ad §. 1. Inst. per quas personas cuique acquir. DN. de BERGER in Oeconom. Iur. Lib. II. Tit. II. §. 33. B. BEYERVS in Position. ad Inst. Tit. Per quas person. cuique acquir. Pos. XVI. Alii tandem, inter quos etiam est LAVTERBACHIVS in Colleg. Theoret. Pract. Tit. de peculio §. 32. distinguunt, num consuetum, an vero incon-suetum, ac insigne donum datum sit infanti? Si prius, ad aduentitium, sin posterius, ad profectitium, cum patris intuitu datum uideatur, referunt. HARPRECHT in Scrutin. XIX. hypothecarum §. 14. & alii, ibidem nominati, iudicis ab arbitrio pendere decisionem, iudicant.

§. XXII.

Nostra sen-
tentia.

EX nostra sententia ad peculium aduentitium irregulare iustica referenda est pecunia, tum, quod ad instruendam militiam spiritualem per se nihil confert, siquidem ea fortunae subsidium externis haud eget, tum quod illa, quemadmodum supra in §. 2. adductum fuit, in ulm arrhae, & ut sit quasi testimonium ac recordatio baptismi, nouiter baptizatis solet offerri; hic finis autem obtineri non posset, si patri concederetur ususfructus, hunc enim, si in rebus fungibilibus, u. g. pecunia, stricte sic dicta, confisteret, non, nisi consumendo percipere posset. Quam ob rem Patrini, oblatis hisce muneribus prohibere quasi uidentur, ut, ne ad patrem transeat ususfructus: Qui enim uult finem, uelit etiam media ad finem necessaria, necesse est; signum autem

tem peculii extraordinarii in denegatione usufructus, patri alias competentis, positum est. *Novell. CXVII. Cap. I.*

§. XXIII.

Dona ista, quae recens baptizatis, lustricae pecuniae nomine offerri solent, consistunt regulariter in pecunia numerata; dantur tamen & alia pretiosa, & arte facta, quandoquidem dignitas, uel dantis, uel familiae baptizati, aut etiam arctior sanguinis nexus, uel luxus seculi id postulare uidetur. Nec minus obseruat Io. GEORGIVS SIMON in *Dissertat. de Patrimis, Ienae 1672. habita Cap. V. §. 4.* res immobiles, fundos, totasque Prouincias Magnates inter & Principes datas fuisse. Atque hoc probat etiam RADOVIVS d. l. *Cap. III. §. 1.* simul adiiciens, Principes atque Magnates solere curare, ut haec munera in aliorum Principum solemnium infantum initiatione, uulgo der *Einsegnung* ante ipsos praeferebantur, quemadmodum id exemplo illustrat. Nec dubium est, nomina, *aussensetzende Schulden* aliaque lura, lustricae pecuniae titulo dari posse; nihil etiam, aut parum, interesse putamus, siue res, aut pecunia, actu statim tradatur, siue in uim promissionis tantum suscipiatur. arg. §. 2. *I. de donat. L. 35. §. ult. C. eod.* quod ultimum quidem admodum raro fieri solet.

§. XXIV.

Haec dona baptismalia, si exsuperant 500 solidos, utrum, si 500 solidos excedit, an egeat iudiciali insinuatione opus habeat, ambiguum crediderunt aliqui. Equidem hanc donationem esse fauorabilem, neminem fore, qui neget, putamus, neque deesse, scimus, qui eam inter donationes, ad piam causam factas, referunt, RADOVIVS d. l. *Cap. III. §. 2.* quae, licet summam 500 solidorum excedant, nulla insinuatione opus habere creduntur. IULIO CLARO *Lib. IV. Receptor. sent. §. donatio Qu. XVII. n. 1.* GABRIEL *Libr. III. Concl. I. n. 28.*

n. 28. aliisque, ab eo allegatis. At enim uero, etiam haec dona baptismalia, quatenus excedunt dictam quantitatem, iudiciali insinuatione indigere, uel exinde concludimus, quod nullibi ea reperimus exemta; adde, quod nec fauorabiles donationes, piisque causis factae, ab hac insinuatione regulariter liberae sunt, quod patet ex *L. 34. §. 1. L. 35. §. ult. C. de donation. L. 19. C. de SS. Eccles. CARPZOVIVS Part. II. Const. XII. Def. XIII. BOCERVS de donationibus Cap. III. n. 69. seqq.* Et quid? dubitanter adhuc quaeritur, utrum haec donatio ad piam causam facta dici queat. *DN. THOMASIVS Dissert. de hypotheca tacita propter pecuniam lustricam Cap. II. §. 1. lit. d.*

§. XXV.

Princeps pecuniae lustricae recte modum praescribit.

NE uero hac in causa nimia prodigalitate suis se bonis spolient ciues, immodicisque donationibus ad incitas redigantur, prouida Principis cura iuste agit, quum, ut reliquis, ita hisce erogationibus, modum, cuius fines non transeant subditi, ponit. Equidem, quemlibet, scimus, rerum suarum moderatorem esse atque arbitrum, quemadmodum dicitur in *L. 21. C. Mandati* ita, ut bonis abuti suis possit. *L. 25. §. 11. ff. de hered. petit.* suum praeterea cuique ius, libere suis de bonis disponendi, saluum sit, fas haberi nouimus ex *§. 2. Inst. de his, qui sui, uel alien. iur.* Attamen haec tum saltem locum inuenire statuimus, quum priuatorum aliquis alterum prohibere intendit, ne re sua pro lubitu utatur, uel etiam abutatur; Principem autem & Magistratum iisdem teneri rationibus atque sancitis, minime credimus, rati firmiterque statuentes, Principem subditorum de rebus suis disponendi liberum arbitrium iure meritoque restringere & coartare posse. *L. 14. C. de Contrah. emt.* praesertim cum publice interfit, ne quis sua re male utatur. *L. ult. C. si contra ius uel uil. public. uel per mendacium aliquid postul. uel impetrat.* Atque ea de causa in Saxonia nostra, in *Ordinat. Polit.*

Polit. de anno 1661. Tit. XVII. sancitum legitur: Soll demnach bey und von denen von Adel / Unsern Rätthen und hochgraduirten Persohnen / hinführo über einen Rheinschen Gold:Gulden / oder zum höchsten einen Ducaten / dem Pauthen nicht eingebunden / wie auch auf das Bette der Wöchnerin / (wo das Schencken sonst Herkommens) ein mehrers nicht geschencket / bey Bürgern und Handwerks-Leuthen aber über einen Reichs:Thaler oder Rheinschen Gulden / und bey dem Bauer 12. Gr. eingebunden werden / bey Poen Fünffzig Thaler gegen einen von Adel / Unsern Rätthen und hochgraduirten Persohnen / Fünff und zwanzig Thaler bey einem Bürgers-Mann / Zehn und Fünff Thaler bey einem Bauern / der Obrigkeit verfallen zu seyn / quae tamen legis dispositio quam ualde negligi soleat, adeo, ut obscurata prorsus, penitusque euulsa omnium memoria uideatur, usus reapfe experiundo edocet.

§. XXVI.

Neutiquam uero ex dictis colligendum, ab inuito susceptore pecuniam lustricam exigere posse, imo ne quidem, quod asserimus, eam usque ad summam, quae legibus permessa est. Haec enim consuetudo, licet pia sit, finemque bonum, quemadmodum supra fuit ostensum, prae se ferat, remedium tamen, quo ab inuito ea exigere queat, in iure proditum nullum est. Multa enim sunt, quae decenter quidem, & ex mera liberalitate, minime uero ex obligatione, praestantur. *L. 12. §. 3. ff. de administrat. & peric. tutor. L. ult. C. de dote promiss.* Tantum etiam adest, ut in legibus memoratis necessitas quaedam determinatam ibi quantitatem offerendi constituatur, ut potius, ne eam excedant subditi, saltem caueatur. Id autem largimur facile, lustricam pecuniam, licet a ctualiter non data, dummodo promissa sit, ab inuito deinde exigere posse, cum eiusmodi promissioni, quatenus modum ea non excedit, lex ipsa assistat. *L. 35. §. 5. C. de donat. §. 2. Inst. eod. L. unic. ff. de Condict.*

Ad pecuniam lustricam offerendam nemo inuitus tenetur.

Promissa tamen exigere potest.

ex Lege. cumprimis, maximeque hodie, ubi ex omni pacto, ex animi sententia deliberata inito, ualida datur actio. B. STRYKIVS in *Vsu Modern. Pandect. Tit. de Pactis §. 2. & 3.*

§. XXVII.

An. Iustri-
ca pecunia &
ea dicenda,
quae ante
uel post
baptismum
offertur?

Lustrica pecunia aut semper, aut plerumque, in actu baptismatis ipso recens baptizatis offerri solet. Quod licet fiat, minime tamen credendum est, iura ac privilegia huius muneribus deneganda, quae uel post sacri lauacri actum, uel ante baptismum, a Patrinis offeruntur, dummodo intuitu baptismi dentur; Forma enim peculiaris ea de re in legibus praescripta non legitur, qua deficiente nos penes haud est, alia, pluraque, ad substantiam eius exigere, quam lex praescribit. arg. *L. 19. C. de Collation. Nouell. XVIII. Cap. 5. HARPRECHT. ad §. 3. Inst. de Locat. n. 236.* Ambabus equidem largimur manibus, istud iure ac nomine lustricae pecuniae minime gaudere, quod forsitan a susceptore, ei, quem ex baptismo suscepit, non intuitu baptismi, sed alia de causa, propter merita forte, uel ob alium finem peculiarem, datum fuisse constat.

§. XXVIII.

Moto con-
cursu credi-
torum ad-
uersus pa-
trem, quo
iure liberi
intuitu pe-
cuniae lu-
stricae gau-
deant?

Lustricam pecuniam antea ad liberorum peculium aduentitium irregulare retulimus. Quod, ut recte factum putamus, ita sponte sua exinde fluit, eam a liberis, moto Concursu, ubi bona parentis Creditores corripiunt, si in natura adhuc existat, prae Creditoribus, uindicare posse, adeo, ut Concursui Creditorum se immiscere non opus habeant. *L. 5. §. 18. ff. de Tributor. act. Ordin. Iudic. Saxon. Tit. XLII. §. 1. ubi: Wenn der Gläubiger bescheinigen kan / daß ihm unter den Güthern / welche bey dem Schuldner befunden werden / was eigenthümlich zustehet / soll ihm dasselbe vor allen andern / sie seyn gleich berechtiget / oder priuilegivet / wie sie wollen / folgen / quod in Recognita Ordinat. Iudic. Saxon. d. Tit. pr. ulterius confirmatur, uerba ita fluunt: Wenn in des Schuldners Verlassenschaft*

senschaft sich solche Sachen in natura finden / welche andern eigenthümlich zu stehen / als Deposita, und was der Schuldner in Commission gehabt / ingleichen / was seinem Eheweibe und seinen Kindern gehöret / und sie billig von der Massa Concurfus zu separiren / und denen Eigenthümern zuverabfolgen. Nectamen etiam diffitendum, si sine culpa patris lustrica perierit pecunia, damnum pertinere ad liberos, minimeque dari restitutionem ex bonis paternis. *L. 12. C. Locat. L. 11. C. si cert. petat. L. 5. 6. 8. 9. §. ult. ff. de rebus cred.*

Quid si sine culpa patris perierit?

§. XXIX.

Vbi lustricae pecuniae administrationem in se suscepit pater, quamnam ad culpam tunc teneatur, digna tractatu quaestio uidetur. Equidem nihil exinde utilitatis affluere parenti, bene nouimus, dum, uti supra monitum, lustrica pecunia ad peculium aduentitium irregulare referatur; nec deesse, scimus, qui negant, peculia aduentitia irregularia patris administrationi subiecta esse, quemadmodum fufius docet DN. THOMASIVS dict. Dissert. de hypothecca tacita propter pecun. lustr. Cap. II. §. 6. lit. c. p. 46. seqq. uid. PEREZ. in Cod. ad Tit. de bonis, quae liber. n. II. RITTERSHVS. ad Nouell. Part. V. Cap. 8. per tot. At nihilosecius cum LAVTERBACHIO in Dissert. de Vsfufructu paterno §. 34. hic distinguendum esse iudicamus inter perfectae aetatis liberos, & eos, qui minus perfectae sunt aetatis. Illos ad relinquendam parenti administrationem bonorum suorum aduentitiorum irregularium neutiquam obstrictos esse, censemus, existimantes, libere de rebus suis, excepta testamentaria ordinatione, illis competere disponendi facultatem. *L. penult. C. qui testam. fac. poss. Nouell. CXVII. Cap. 1.* Hos uero, quod attinet, nisi peculiarem Curatorem habebant horum intuitu bonorum, uel etiam priori in casu patri sponte administrationem relinquunt, dubium haud est, quin pater, si uelit, & haecce bona, licet ad aduentitia irregularia referantur, administrare possit. arg. *L. fin. §. 1. C.*

Quam culpam pater praestare teneatur?

D

de

de bon. quae lib. L. 7. pr. C. de Curat. furios. ANTON. FABER in Cod. Tit. de bon. quae liber. Def. VI. CARPZOVIVS Part. II. Const. X. Def. II. Qua de causa etiam eandem ad praestationem culpaе, ad quam quisque alius administrator, teneri patrem, iudicamus, confer. L. 1. pr. ff. de Tus. & rat. distrab. L. 6. ff. de administrat. rer. ad ciuiv. pertin. Nec obstat his, quod alias pater ab onere reddendarum rationum, hisque similibus aliis, immunis sit. L. 6. §. 2. L. 8. §. 4. C. de bon. quae lib. inuentarii confectionis, L. ult. §. ult. in fin. C. de bon. quae lib. Monente enim B. LAUTERBACHIO Dissert. de Peculio aduentitio irregulari §. 22. in peculio aduentitio irregulari aliter se res habet, dum patris conditio hac in parte melior haud est, quam alterius cuiusque Curatoris uel administratoris.

§. XXX.

An comparatur liberis intuitu huius pecuniae consumptae hypotheca tacita in bonis paternis?

Si, quod a Susceptoribus lustricae pecuniae nomine datum est, a patre consumptum, propriosque in usum conuersum fuerit, liberis patris in bonis hypotheca tacita tribuitur, quae id iuris praebet, ut, moto patrem aduersus Concursum, reliquis creditoribus, ius habentibus infirmius, praeferrantur. CARPZOVIVS Part. II. Const. XXIV. Def. ult. BRUNNEMANN Jus Ecclesiast. Lib. II. Cap. 1. Memb. II. p. 287. ibique STRYKIVS in Not. uerb. tacita hypotheca. DN. DE BERGER in Elect. Discept. For. Tu. XLV. Obs. I. Not. 5. & in Oecon. Iur. Lib. II. Tit. V. th. 3. lit. d. p. 518. Tacitam hanc hypothecam grauitur quidem impugnat DN. THOMASIVS in saepius allegata Dissertatione Cap. II. §. 3. seqq. Legibus ciuilibus eam, existimans, minus conuenire. uid. L. 6. §. 2. C. de bon. quae lib. ubi: Non autem hypothecam filii familias aduersus res patris, uiuentis adhuc, seu iam mortui, sperare audeant. At enim uero, cum liberis, ob bona materna, aliaque similia in dict. L. 6. §. 4. C. de bonis, quae liber. tacita hypotheca in bonis paternis tributa, tum etiam usu fori factum est, ut ad reliqua liberorum bona, quae pater administrat, haec

haec tacita hypotheca extenderetur. CARPZOVIVS *Part. II. Const. XXIV. Def. 17.* SCHOEPPFER *ad Tit. ff. in quibus causis pignus uel hypoth. tacit. contrah. n. 2.* Atque adeo de ualiditate tacitae huius hypothecae tanto minus dubitandum, quanto magis consuetudo uim legis habet. §. 9. *Inst. de Iur. Nat. Gent. & Ciuil.* & moribus aequae ac legibus scriptis hypotheca tacita introduci potest. SANDIVS *in Decision. Prisc. Lib. XII. Tit. III. §. 1.* Accedit, quod in *Ordinat. Iudic. Sax. Vet. Tit. XLV. §. 2.* indistincte liberis hypotheca tacita in bonis paternis, propter bona, a patre administrata, tributa sit, quae quidem tacitae hypothecae omnes in uniuersum in Saxonia Electorali hodie abrogatae sunt. *uid. Ordin. Iudic. Sax. Recogn. Tit. XLV. §. 1.*

§. XXXI.

Haec tacita hypotheca, non a tempore, quo expensa pecunia lustrica, atque in usus patris uersa fuit, sed a tempore baptismi facti, si in ipso actu baptismali, sin uero postea eius oblatio facta, ab hoc tempore, quo data fuit, ualorem habet. *uid. DN. DE BERGER Oeconom. Iur. Lib. II. Tit. V. lib. 3. lit. d. p. 518. & in Elect. Discept. Forens. Tit. XLV. Obs. I. Not. 5. p. 1498.* B. STRYKIVS *in Not. ad BRUNNEMANNI Ius Ecclesiasticum Lib. II. Cap. I. Membr. II. §. 13. uerb. tacita hypotheca.* Quemadmodum enim ab eo tempore competit patri administratio; ita ab eo tacita hypotheca suum habet initium, idque uel ideo magis, cum tempus, quo eiusmodi pecunia erogata, plerumque incertum sit, talique ratione multis inutilibus disceptationibus ansa daretur, si ab hoc demum tacitae hypothecae initium sumendum. Adde, quod in *L. 6. §. ult. C. de bonis quae liberis* intuitu bonorum maternorum, similiumque, hypotheca in bonis patris ualeat a die susceptae administrationis, non autem factae alienationis; cum uero, quod supra dictum, haec hypotheca tacita, ad quaeuis liberorum bona aduentitia usu fori extensa sit, tum sane, quid impediatur, quo minus ea pariter ad pecuniam lustricam extendenda sit, non uidemus.

A quo tempore incipiat hypotheca tacita?

D 2

§. XXXII.

§. XXXII.

Quantitas pecuniae lustricae non tantummodo designanda, sed et probanda est.

Non autem legitime solum significanda quantitas lustricae pecuniae, haec si repetitur a liberis, uel qui nomine eorum agunt, sed decenter etiam & congruo modo probanda, propterea, quod hac in re simplici eorum assertioni fides haberi haud solet. Quanquam enim in Saxonia nostra, quemadmodum supra monuimus, quantitas certa determinata; tantum tamen abest, ut hanc summam simpliciter offerendi necessitas praescripta uideatur, ut potius, ne eam excedant susceptores, lege publica cautum statutumque sciamus. Et quid? cum paternos adeo stricte non teneri diximus, ut baptizatis, lustricae pecuniae nomine, quid offerant, tum sane uel ideo magis realiter factae donationis, quantitatisque probatione opus est. Nec probare possumus propterea pronuntiandi modum nonnullorum Collegiorum luridicorum, quae, ut monet DN. THOMASIVS dict. *Dissertat. de hypotheca tacita propter pecuniam lustricam Cap. III. §. 1. lit. d.* probatione iniuncta, demum hanc clausulam adiiciunt: *wiedrigen Falles werden mehr nicht/ als 5. Thaler/ passiret.* Equidem id damus facile, probationem solemnem exactamque non requiri, sed iuratoriae confirmationi locum esse, idque hodie in Saxonia nostra eo magis, cum in *Ordin. Iud. Sax. Recogn. Tit. XLI. §. 4.* in genere permissum: *Daß zu mehrerer Beschleunigung der Sache/ befundenen Umständen nach/ die Creditores zur eydlichen Bestärkung ihrer Forderungen/ wenn auch gleich keine semiplena probatio, sondern nur aliqualis demonstratio vorhanden/ zugelassen/ und in dem Designations-Urtheil oder Abschiede darauf erkant werden soll.* Atque adeo fori usus, ubi in modica quantitate consistit debitum, alia demonstratione non existente, iurata admittit confirmationem. Vid. RIVINVS ad *Ordin. Iud. Saxon. Tit. XLII. Enunc. 24.*

§. XXXIII.

Si lustrica pecunia a parentibus

Accidit haud raro, ut lustricam pecuniam acceptare nolit

lit parens, quo facto, num liceat liberis quicquam patris ^{recusata, an} ex bonis, lustricae pecuniae loco, quae recusata fuerit, re- ^{eius loco li-} petere, nunc examinandum est. Hac renunciacione pa- ^{beri ex bonis} tris filio, ut facto tertii, minime noceri, existimaueris, for- ^{parentum} sitan, cum de alieno non exercenda liberalitas, secundum ^{quid repetere possint?} prouerbum: *De Tuo largitor puer.* uid. *L. 83. ff. de Verb. Oblig.* ideoque filium, quantitatem minimum, legibus approbatam, a patre, huiusque ex bonis iure meritoque petere posse. At enim uero cum filio baptizato a patrinis exigenda dona lustrica nullum ius, ceu supra in §. XXXVI. deductum est, competit, nec constat, quid, quantumue patrio offerre uoluerit, dum plerumque ante actum baptismalem lustricae pecuniae fit recusatio, praeterea Leges allegatae non de eo, quod offerri, sed quae summa a Patrinis obseruanda, nec excedenda sit, disponunt, id etiam, quod interest, ab alieno tamen arbitrio pendet, minime curandum, *L. 23. §. 2: ff. ad L. Aquil.* ibique GLOSSA ad uerba, *quia retrorsum* WESENBECIUS *I. Consil. XXXIV. n. 22.* tum sane, liberorum petitis minime locum esse dandum, indubitanter asserimus.

§. XXXIV.

Aliter sentiendum de usuris lustricae pecuniae, a patre ^{An usuris} consumtae, propriosque in usus uersae. Docet equi- ^{petere pos-} dem DN. THOMASIVS in saepius adducta Dissertatione ^{sint?} *de hypotheca tacita propter pecun. lustric. Cap. III. §. 1. lit. d. p. 57.* usuras, si Ictorum Decisa consulas, silentio communiter praeteriri, uel etiam expresse reiici, idque probat praedictio quodam in causa *Johann Michael Godevischsens Anno 1716.* pronunciato, cui inserta formula: *wegen des Interesse vom Pather-Gelde hat derer Godevischschen Kinder Suchen nicht statt.* Nec in Praedictio hoc saltem acquiescit, sed hanc etiam affert rationem, lustricam pecuniam eum in finem non dari, ut inde quaerantur usurae, existimans simul, a tutoria ad paternam administrationem in genere argumetari non licere, pariterque refutans allegato loco rationes

a BEVTHERO *Lib. I. Cap. II. de iure praelat. nec non in sententia Ictorum Ienensium in causa I. F. R. Mense Martii 1716.* ad Curiam illustrem Regiminis Magdeburgici missa, & quidem in decidendi rationibus, allatas. At ueniam dabit Vir illustris dissentientibus nobis, liberisque usuras pecuniae lustricae, a patre consumptae, non ita simpliciter denegandas esse, docentibus. Quid enim? et si concedamus, lustricam pecuniam eum in finem non dari, ut usurae inde quaerantur; alia tamen est quaestio, anne pater, qui lustrica pecunia, contra huius naturam, utitur, eamque suos in usus conuertit, usuras propterea soluere teneatur? Quod affirmandum omnino uidetur, propterea, quod pater, praeter administrationem, nullum ius in hac pecunia habet, ideoque illicite agit, dum eam consumit. Vti itaque administratori nec alienatio, nec oppignoratio competit. *L. 7. ff. de donation. L. 23. §. 2. ff. de Pact. L. 1. §. 1. ff. quae res pign. obligar. poss. ut, si nihilominus fecerit, ad usuras omnino teneatur. L. 7. §. 9. seqq. de administrat. & pericul. tutor.* ita sane non apparet, quam ob causam pater, intuitu peculii aduentitii irregularis, ad quod, ceu supra monuimus, referenda est lustrica pecunia, melioris conditionis esse debeat, quam alius tutor, uel administrator. Id quidem facile damus, ab eodem demum tempore patrem ad usuras teneri, ubi lustricam pecuniam expendit, propriosque in usus uertendo eam, lucrum fecit, attamen ita, ut, si constet, hanc pecuniam a patre consumptam esse atque expensam, ab eo statim tempore, ubi pater suscepit administrationem, usurae a patre peti possint, cum de praeterito ad plus praeteritum iura praesumant. *L. 3. C. de Apoch. public. L. 28. ibique GLOSSA ff. de probatior. BARBOSAE Thesaurus Locorum commun. Lib. XIV. Cap. XCV. Axiom. II. & qui ibi allegantur, nisi pater speciale tempus, quo in suos usus conuerterit lustricam pecuniam, docere ac probare possit: Probationes enim cedunt ueritati, L. 57. ff. de iure dor. L. fin. princ. ff. quod metus causa. L. 25. ff. de probatior. L. 30. C. de iure dor. §. XXXV.*

A quo tempore peti possint?

§. XXXV.

Num Patrini lustricam pecuniam, baptizato datam, reuocare possint, si hic Religionem, quam in Baptismo assumpsit, postea mutauerit, non immerito hoc loco disquiritur. Equidem rei donatae, atque traditae, dominium irreuocabiliter transire in donatarium, nec in praecudicium eius iterum reuocari posse, non dememinimus, *L. ult. C. de reuocand. donat.* nec diffitemur, modum huncce, ut baptizatus perseueret in religione assumpta, raro huiusmodi donationibus expresse solere adici, praeterea etiam facile damus, patrinorum uoluntatem forsitan esse, ut baptizatus in religione maneat, nec recedat, quod tamen propositum, in mente retentum, nullum parit effectum, *L. 25. C. de transact. L. 7. C. de condit. ob causam. L. ult. C. de posthum. hered. instit.* WESENBECIUS in *Paratit. ff. Tit. de Pactis n. 8.* At enim uero, cum regula dicta tum demum locum habet, quando ex nulla circumstantia, uel coniectura, de mente, non satis perspicua constat, eaque limitari solet in iis, quae tacite colliguntur, aut generatim ex Actis, ANTON. GABRIEL. *Lib. VI. Commun. Opin. de Regulis Iuris Concl. IV.* aut ex natura rei *L. 17. §. 1. ff. de rebus credit. L. 2. §. 3. ff. de Except. doli L. 4. §. 1. ff. de Pactis L. 73. pr. ff. de Verb. Obligat.* aut aliis ex causis, quemadmodum eleganter post DECIVM docet CAGNOL. in *L. 34. de Reg. Iur. n. 2. 3. & 4.* ubi ostendit, id uerum esse non in iis tantum, quae tacite ex Lege, uerum etiam ex contrahentium uoluntate & sententia ueniunt. *L. 11. pr. ff. de act. emt.* WESENBECIUS *Consil. LI. n. 62.* praeterea supra in §. 3. iam deductum est, quod pecunia lustrica baptizatis a susceptoribus in tesseram fidei datae, testimoniumque facti Baptismatis offerri soleat, ut uel ideo non possimus non colligere, istud munus a susceptore sub conditione ac lege baptizato datum fuisse, ut in uera Religione perseueret constanter, nec ab ea discedat, quemadmodum etiam baptizatus uidetur pecuniam eum in finem accipere,

An pecunia
lustrica ob
mutatam
Religionem
reuocari
possit?

cipere, ut uelit in ea Religione permanere, eaque diligenter seruare, quae ipsius loco Patrini in actu sacri lauacri promiserunt; Legem uero si quis non seruet, quam donator adiecit donationi, uel promissa, quemadmodum facit is, qui a uera Religione deficit, tum sane etiam lustricam pecuniam datam repeti ac reuocari posse, omnino putamus. *L. 3. ff. de donat. L. 6. C. de condit. ob causam dat. ii. C. de donat. quae sub modo. Cap. fin. X. de donation. CARPZOVIIVS Part. II. Constit. XII. Defin. 39. n. 1. & 2. confer. RADOVIIVS d. l. Cap. V. §. ult.*

§. XXXVI.

*Num alius
ex causis
reuocari
possit?*

Nec dubium uidetur, munera baptismalia pariter reuocari posse ex causis ingratitude, quae probantur in *L. fin. C. de reuocand. donat.* quinimo etiam ob superuenientiam liberorum, dummodo magna & inconsumta summa data, quae ipsorum laedit legitimam, Negat quidem B. LYNCKERVS *Cent. VIII. Decis. DCCLXXXIII.* iura donationum ciuilia ad pecuniam lustricam applicari posse, propterea, quod ad piam causam facta uideatur; At enim uero, licet concedamus, hanc donationem ad piam causam factam esse, quod tamen adhuc in dubium reuocare licet, sane ex nullo textu iuris probari potest, donationes ad pias causas factas simpliciter ab iis, quae iure Ciuili de reuocandis donationibus constituta sunt, exemptas esse. *RADOVIIVS d. l. Cap. V. §. ult.*

§. XXXVII.

Conclusio.

Plura de grauitate huius materiei, de lustrica uidelicet pecunia, hac occasione tradi potuisse fusius, non diffitemur; At temporis angustia praecludimur, ac, in Tractatum ne exeat, profiliatque Dissertatio, timendum, ideoque clausulam Disputationi imponimus, alibi forsitan, quae restant, tradituri.

FINIS.

ULB Halle

003 612 635


3



Sb.







8
D. D. B. V. E 72. num. 21.
DISSERTATIONEM IVRIDICAM
DE
EO, QVOD IVSTVM EST
CIRCA

1. 371
**PECVNIAM
LVSTRICAM**

VVLGO

Wathen-oder Sevatter-Geld

PRAESIDE

IOANNE GODOFR. KRAVSIO D.

INSTIT. IMPER. P. P. CVRIAE PROVINC. SCABIN.
ET FACVLTATIS IVRID. VITEMBERGENSIS
IVDICII ITEM PROV. INFER. LVSTAT.

ASSESSORE

AD DIEM AVGVSTI M DCC XXVIII.

IN AVDITORIO ICTORVM

HORIS CONSVETIS

PUBLICAE CENSVRAE SVBIICIT

IOHANNES SAMVEL BEYERVS

FREIB - MISN.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

